



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLVIII. Domini in Cruce derelictio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

tes, fructus viscerum & amoris huius purissimæ Dominæ! rogate illam, ut mihi faveat, & obtineat ab Unigenito suo, ut faciat me dignum servum suum. Amen.

ÆRUMNA XLVIII. Domini in Cruce Derelictio.

I.



Ultimū relevari solent ærumnæ, si quis vel socios vel amicos habeat, qui compatiantur, aut animum à malo abstrahant, atque divertant ad alia. Sed undique circumfluere miseriis, ut quocunque convertas oculos, augeantur dolores, ac destitui simul omni re, quæ animare possit, hæc demum non sine ratione habetur pro summa miseria. Ideo Dominus noster suos in hoc genere probare solet, eò quòd maximè contrarium sit naturæ & gustui vitæ. Quando ergo vult animam, quæ seria voluntatis determinatione ipsū quærit, inducere in hanc viam, & preparare ad gratiam, quam ei largiri decrevit, initio crucem ei tentationum, aut aliarum molestiarum imponit, ut incipiat amittere amorem rerum terrenarum, & exerceri in imitatione Christi. Deinde cum inceperit obedire Deo, & à manu suæ divinæ Majestatis acceptare cruces, adimit ei consolationem creaturarum: ut illam quærat solum in ipso, & creaturæ non rapiant sibi partem ejus amoris per consolationem, quæ possit provenire ab ipsis. Denique cum à creaturis avulsa, per amorem Dei renuntiaverit omnibus, quæ ab illis posset expectare, soli Deo se permittendo, à quo solo duci cupit, & accipere solatium; ille suum favorem abscondit, atque ita se occultè communicat animæ, ut eum præsentem non agnoscat, nullamque consolationem sentiat, cum desolatione interna, ut jam nec à Deo, neque à Creaturis habeat quidquam solatii. Fit hoc ideo, ut perfectè purificetur amor, ac Deus jam non quærat, nec ametur propter sua dona & gratias, sed purè propter id, quod est, & meretur. Et sic anima puro amore Deo subiecta, liberaliter sinit se tractari ab eo sive per solatia, sive per desolationem, prout ejus Majestati videtur;

Qua ratione Deus animas ad se trahat,

Sic ut perfectè amantem Deum

Zzz. 2

tam

tam contenta, quando ipsi placet eam affligere, quàm cum consolari, nullam ejus providentiæ metam præscribens, vel terminum alium, quàm qui ipsi placuerit. Hic status est purè amantium Deum, & servientium ei perfectè, non multis cognitus, à paucis desideratus, à paucissimis obtentus. Sed qui Deum quærunt ex corde, licet non eousq; perveniant, tamen in ea progrediuntur, quantum possunt per gratiam sibi datam. Qui verò pervenerunt ad summum gradum derelictionis omnimodæ, & manent fideles in ea, experimento cognoscunt, hoc gravius esse omni corporali miseria, & faciliùs tolerari pro Deo martyrium corporis, quàm hoc martyrium Spiritus: quia illud habet auxilia sua, & consolationes internas, quibus tormenta dulcescunt, & mors ipsa; Deo quasi palpabiliter succurrente, ne vi dolorum ac metu deficiant in amore ac fide. Non enim amor Martyrum indiget amplius probatione, cum pro Deo vitam profundant, & omnia: quæ summa est amoris probatio.

*Facilius est
martyrium
corporis,
quàm Spi-
ritus.*

*Tormenta
Christi au-
ta à cir-
cumstantiis*

II. Exercitati in hoc genere meliùs intelligent, quantum debeamus Christo Domino nostro, unico consolatori omnium, quòd inter tantos alios cruciatus voluerit etiam sustinere hanc omnimodam derelictionem, sine omni lenimento ac solatio. Voluit enim tales suorum cruciatuum esse circumstantias, ut hæ fierent graviores ipsis primariis tormentis. Talis fuit hæ derelictio: nam à creaturis nullum fuit auxilium, sed unaquæque potiùs auxit ejus dolorem. Amici, affecæ, discipuli relicto eo fugerunt, unus etiam prodidit, alius negavit, tertius cruci adstitit mœrens. Sanctissima Mater, & aliæ feminæ eam secutæ, duplicaverunt ejus dolorem, stando ad crucem ob oculos ejus cum planctu; ac divino consilio factum est, ut nihil ei refocillationis afferrent. Non fuit ex omnibus, quos sanaverat ac docuerat, qui aliquid ei præstaret officii, aut verbo saltem ostenderet sibi displicere, quæ illi accidebant. Inimici tanta crudelitate & barbarie erga illum sunt usi, ut omni sensu naturalis compassionis exuto, non contenti malis, quibus eum affecerant, quæsiverint novos modos torquendi etiam viscera ejus aceto, felle & myrrha; & post mortem transfixerint eum lanceâ; vestes ejus ludo & sorti subjecerint. Quæ omnia fecere tanto cum tripudio, quasi Dominus pestis & ruina suæ gentis fuisset, cui

*Judaorum
in eum bar-
baries.*

cui suâ morte libertatem parabat. Nullum servârunt in eo ordinem vel justitiæ, vel rationis, vel gratitudinis, aut observantiæ, quasi homo nauci fuisset. Atque per hæc omnia demonstrârunt improbitatem ac virulentiam animi sui, quæ Domino maximè doluit, cum eos ardentissimè amaret, & mortem oppeteret pro eorum salute.

III. Sed nec Angelorum ullus apparuit confortans eum in cruce. A rebus inanimatis id saltem sperare potuit solatii, ut lignum, clavi, spinæ tantisper à naturæ suæ rigore discederent, ut mare quondam ei servivit. At nihil horum obsequiorum à suis creaturis jam expertus est, sed omnia dura & acerba. Sol suum lumen subtraxit, nec habuit, quo tegeretur, sepultus in aliena sindone. Sitienti neque haustus aquæ datus est, quâ ferè omnes abundant. A Patre cælesti, qui verum est refugium afflictorum, & à Spiritu sancto, qui proprio nomine Consolator vocatur, sic derelictus fuit in cruce, ut nihil omnino remitteret eorum, quæ consilio æterno pro peccatis nostris toleranda decreverat, ne in minimo quidem dispensando: ideo tradidit eum in manus hostium & carnificum, quasi non esset suus filius, omnem licentiam in eum permittens potestati tenebrarum, ut agerent in eo, quæcunque velent ac possent in omni furore & malitia.

IV. Sed & anima ejus, licet esset beata, non tamen plus largita est corpori, quàm vitam & vires ad patiendum. Atque ut sua divina Majestas in aliis servis suis desolationem solet attemperare gratiæ cujusque, ita Christo admensus est eam plenitudinè gratiæ, quæ in illo fuit: neque ullus alius fuisset ferendæ. Denique tanta fuit hæc desolatio, ut, cum admirabili silentio sustinuerit omnia toto passionis decursu, hanc tamen non dissimulaverit, sed affectuosa voce prodiderit, dicendo: *DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquisti me?* Quibus verbis non de ipsa derelictione questus est, velut ægrè ferret; sed filiali confidentia expressit, quàm sit gravis ea derelictio: quomodo etiam solet amicus amico, cujus gratiâ laborat, exponere, quantum id sit laboris, quem tamen libenter obit, ejus amore majorem quoque obiturus, si oporteret. Quòd autem Dominus contra derelictionem suam questus non sit,

Joann. c. 19. v. 28. mox offendit, cum dixit: *Sitio*: dans occasionem novæ vexationis, præbendo sibi aceto & felle. Non ergo dixit illa, quasi eam derelictionem cessare cuperet, sed indicare voluit, humanitatem suam in tam inexplicabili afflictione aliquid saltem refocillationis optare.

Psal. 21. v. 2.

V. Diu antè prædicta fuit hæc derelictio à Regio Propheeta: *Deus, Deus meus*, inquit, *respice in me: uare me dereliquisti?* & mox addit causam ejus derelictionis: *Longè à salute mea verba delictorum meorum*, quæ in me expianda suscepi. Et majore parte illius Psalmi recenset minutim, quomodo sit relictus in manibus inimicorum suorum, & hi suam confidentiam in Deo, quasi vanam, irriserint. Sed horum omnium fructum in fine declarat. In Psalm. 88. v. 39. cum David exposuisset amplitudinem ac dignitatem Filii Dei in carne passi, miratur consilium diuinum in eo derelinquendo: *Tu verò*, inquit, *repulisti & despexisti*, quasi nihil curares eum. *distulisti* ejus exaltationem, derelinquens in afflictione *Christum tuum*, *uertisti testamentum serui tui*, quo promiseras ei regnum: *profanasti in terra sanctuarium corporis ejus*. *Destruxisti sepes ejus*, liberam in eum grassandi & vastandi potestatem feris permittens: *posuisti firmamentum ejus formidinem*, te ipsum, quo unice nitebatur, exhibens ei non consolatorem, sed formidabilem, & quasi contrarium. *Diripuerunt eum*, & omnia desiderabilia ejus: *omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis: exaltasti dexteram deprimentium eum*, latificasti omnes inimicos ejus. *Avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in atrocissimo bello*. *Destruxisti eum funditus, & sedem ejus in terram collidisti*. *Minorasti dies temporis ejus*, ut è medio tolleretur in juventute. Totum perfudisti eum confusione. *Vsquequo, Domine, faciem tuam averris in finem, & exardescet sicut ignis ira tua?* Denique videns David bona ex his oritura, in Dei laudes erumpit: *Benedictus Dominus in æternum: fiat, fiat*. Hinc cernitur, quantam rationem habuerit Spiritus sanctus istius desolationis, quam adeò exaggeratè describi curavit, ne unquam ejus oblivio nos capiat, vel excusare possimus nos ignorasse, quantum Filio Dei propterea debeamus. Neque enim leve fuit, quod tantò antè prædictum, ac tam accuratè descriptum est, Christo velut mitissimo agno ad ea non aperiente os suum.

Psal. 88. v. 39. & seq.

VI. Hæc

VI. Hæc derelictio Domini præberet occasionem plura dicendi de fervoribus DEI desolationibus, ut frequentibus, ita sanè quàm gravibus. Sed exemplum Domini nostri tam clarum & luculentum est, ut sine ulteriore doctrina ex illo disci possit, quidquid est desolatis animabus necessarium. Tria solum pro illarum consolatione monebo. Primum: licet Christus judicaverit de sua derelictione appellandum esse Patrem æternum; nihilominus neque liberationem ab ea petivit, neque solatium, aut refocillationem, quam tanquam Deus, ipse sibi dare poterat: sed voluit perficere opus inceptum, & in eo durare usque ad mortem: insigni & prorsus necessario documento afflictorum; qui non debent cogitare, se nihil proficere, quando vident suam naturam graviter laborare sub onere, quo gravantur: quia hic sensus causa est majoris meriti: & efficacissimum remedium in his afflictionibus est, recurrere ad Deum, à quo proveniunt; non petendo, ut eas tollat, vel minuat; sed ei submittendo suam voluntatem, neque aliud auxilium quærendo, quàm ut possit perferre; cujusmodi sunt Sacramenta, & consilia peritorum fervorum, DEI: quod si faciant, non opus erit quætere medium se liberandi, sed fideliter perseverandi in illis. Nam recursus ad Deum cum subjectione suæ voluntatis est medium fortissimum confirmandi cor; cum fide certum sit, adversa immitti à Deo, quomodo & quando convenit iis nos exerceri. Neque gratius Deo sacrificium potest offerri, quàm ut voluntatem divinæ ordinationi submittas, renuntiando omni alteri consolationi; præterquam ei, quam Deus ipse dare voluerit, & eo modo, quo ipse ordinaverit:

Quid desolata anima sciendum

VII. Secundum est, ne sinant se vinci tentatione, quæ desolationi solet adjungi, quasi Deus eorum oblitus, manum suam ab eis abstraxerit. Quia fides nos docet, Patrem æternum non potuisse oblivisci Unigeniti sui nec eum deserere, licet eum ad tempus in desolatione reliquerit: imò per hoc ipsam medium impletum ivit, quod ei promiserat, multis audientibus, dicendo: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Quia per has ærunnas paravit ei gloriam ac triumphum, gloriam corporis, claritatem nominis toto mundo, & innumerabiles animas per eum salvandas, subjectis ei omni-

Desolato fruster pugnandū.

Ioann. 6. 12. v. 28.

ei omnibus inimicis. Si ergo Filium suum DEUS gloriosum fecit per afflictiones, quis de immensa bonitate ejus cogitet, eum servulis suis imitantibus filium, in adversis non etiam patientiæ coronas parare? non cadit hoc in Deum, qui prope est omnibus afflictis, & liberat humiles Spiritu.

VIII. Tertium est, Christum, teste S. Cypriano, hanc ærumnam subiisse non tam exempli causa: quàm ut mereretur nobis protectionem & consolationem divinam. Quantumvis enim quis desolatum se videat, nunquam tamen tam solus erit, quàm fuit Christus: & cui desunt omnia, Christus tamen, magis omnibus destitutus, ei non deest, omnem defectum nostrum supplendo, & favorem divinum sua nobis derelictione conciliando, ut egeni non simus. Hic est ergo sensus verborum ejus: Deus meus, memento causæ, quare me dereliqueris: quæ est, ut nemo deseratur à te. Per hanc meam derelictionem commendo tibi omnes, ex tua permissione afflictos. Recipe illos, protege illos, fove illos, glorifica illos, sicut me glorificas. Verè enim anima nunquam dignior & gloriosior esse potest in oculis Dei, quàm cum videtur derelicta à sua divina Majestate.

E X E R C I T I U M

Circa derelictioem Domini.

I.

Multitudinem tribulationum Christus verbo prodit,

O Vere Consolator cordium tribulatorum, spes dejectorum Spirituum, fidelissime amator animarum, Jesu, quies & consolatio omnium languentium, debiliùm, ac derelictorum! quodnam est hoc pelagus afflictionum, in quibus te positum video, ut rupto illo mirabili tuo silentio, te cogat in verba, quæ innuant fatiscere tuam invictam patientiam? Esne fortasse tu, Jesu animæ meæ, sicut ego sum, qui qualibet afflictione à te mihi immissa, puto me jam esse in fundo maris, è quo despero emergere, tanquam homo exiguæ fidei? At si animo tranquillo velim ire per hoc mare, quod me vis transire, te statim invenio, qui me inde siccis pedibus educis: & cum sis vera tranquillitas meorum fluctuum, modò te video tam defessum in tuis, ut præ admiratione vix habeam spiritum.

tum. O divine ac mitis Agnelle! qui hætenus tam quietus fuisti ac patiens, omnes tuos dolores abscondens in corde afflicto, sine querela & contradictione, quidquid facere te vellent, subjiciendo te omnibus tormentis & injuriis; nunc tandem loqueris, ac profiteris afflictionem, quam pateris, cum suspiriis tam miserabilibus, ac verbis tam teneris Patrem compellans. Certè hoc non provenit aliunde, quàm quòd, sicut Psalmus habet, veneris in altitudinem maris afflictionum, angoris ac derelictionis, ut non sit, ubi subsistas, & plus pati non possis humanitus. O qui te posset consolari, Jesu amor, & vita animæ meæ! ô qui posset sublevare mœrorem ac dolorem, quem pateris! Implevisti, Domine, quod per Prophetam prædixeras: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Is. 36. v. 3.

II. O quantum tibi debeo, Consolator mi? quando poterò respondere aliquo modo amorì, quem mihi exhibes? non enim fortuitò devenisti in extremam istam afflictionem, sed eam ultro suscepisti pro me: non coactus externa vi, sed amore ab omnibus derelictus es. Ac nisi prohibuisses, Angeli te defendissent, stellæ cecidissent è cælo, elementa turbata fuissent, omnes creaturæ conspirassent ad liberandum te ex hac afflictione; sed amor tuus divinus, qui omnes actiones tuas gubernat, sic voluit, & ipse solus effecit, ut tu patereris hæc, & ad extremam desolationem venires; ac tu magis meam necessitatem, quàm tuos dolores attendens, tibi soli reservasti hoc genus patiendi, ut patereris absque omni solatio, ne quisquam alius ita patiatur: nam omnibus afflictis ades, & quò se quis magis putat esse desertum, eò tu es ipsi præsentior. Adoro hunc amorem, qui sic nos consolatur: adoro hanc voluntatem tam studiosam mei auxiliì.

III. Quid fieret me, Deus meus, si tu non ita fuisses pro me? sed quis ego sum, & quis tu, ut sic astimes meas necessitates, & propter illas tuam sanctissimam humanitatem sic affligas? nõsti bene, mi Jesu, quanta sit inæqualitas inter te & me; & nihilominus in tua bonitate & amore invenisti modum juvandi me tanto tuo dispendio. Adoro te, Magister mi, ac pastor divine, quia tanto labore tuo me docere voluisti, quòd omnia possim à te sperare, licet non merear; & quòd infinito amore ac bonitate sis ad omnia

A a a

mihi

m'hi præstanda. Quænam ergo mihi superest excusatio, si te non amem toto corde, & non serviam tibi totis viribus, & repudiem omne humanum solatium? in omni re, bone Jesu, es infinitus, liberalis, magnificus: in amando, in ignoscendo, in expectando, in supportando me & ingratitude meam, in patiendo pro me sine solatio & auxilio, ut soli tibi debeam omnia. O quàm essem inops & miser, si meum bonum & remedium constituisses in alio quàm in te! quia non potest inveniri alia tam larga & amore plena voluntas, quæ faceret meâ causâ, quæ tu fecisti.

*Destitutum
est omni
prospice
solatio,*

IV. Tu acceptasti ultro ordinationem Patris tui, ut in hanc derelictionem venires, & sustentasti Humanitatem tuam in ea, beatitudinem debitam illi suspendens, ne quidquam in corpus redundaret solatii: nec voluisti, ut vel Angelus de cælo veniret, afferens aliquid consolationis, ut in horto factum est. Adduxisti ad pedem crucis tuam sanctissimam Matrem, plenam dolore, ut inde tuus cresceret: permisisti fugere Apostolos, ne te defenderent, vel tibi assisterent: voluisti, ne quidquam exhiberetur tibi consolationis vel gratitudinis ab his, quibus bene feceras: abscondisti potentiam tuam, ut te tanquam infirmum opprimerent inimici, & tractarent pro libitu. Solus absque compassione, absque socio, qui consolaretur, absque lumine solis, absque memoria miraculorum atque doctrinæ tuæ; nudus ut latro, impostor, seditiosus, turbator patriæ, & omnium sceleratissimus, pendere voluisti in cruce, nullo solatio à cælo, nec à terra; totus lacer & saucius, plenus dolore lethali in omni parte corporis, derelictus ab omnibus, ab ipso etiam Deo Patre: quæ omnia licet ultro elegeris, tam acerba tamen fuerunt, ut alta suspiria vocésque ad Patrem elicerent. O Deus cordis mei! ô bonum animæ meæ! ô consolatio afflictorum! ô refugium derelictorum! quomodo mihi est in corde & visceribus meis, cum te sic desolatum intueor? Nescio loqui, mi bone Jesu! desidero colliquescere sensu, lacrimis, amore, & aperire tibi cor meum, ut videas, an aliquid in eo sit, unde possis habere solatium. Desidero jam, cum tibi omnia desunt, saltem non desse meum hunc pauperem spiritum, & amorem hunc, flaccidum licet ac frigidum. Accende tu eum, Deus meus, ut sentiat, quid patiaris,

patiaris, ac te amet, complectatur, affigatur cruci, ut juvet te sentire tuos immensos dolores. O gloria & opulentia cordis mei, tibi loquuntur interiora mea. Dilata, extende hanc animam, ut sentiat, ut intelligat, ut amet, ut consumatur in eo, quod videt in te unicè merito amorem hujus animæ.

V. Desidero, Deus meus, non discedere ab ista cruce, sed fugere à me ipso; quia video me talem coram te, & quia hæc tua derelictio est mea gravis reprehensio. Estne possibile, Domine, ut audeam queri, quando deest mihi divina tua consolatio, cum videam te pro mea salute sic debuisse desolari? Insuper eò miseriam devenio, ut quando subtrahis mihi suavitatem gustus tui, putem te mei oblitum; cumq; tunc studiosius quærere deberem auxilium tuum, convertar ad terrena solatia. Fugio crucem tuam, diffido Bonitati tuæ, cum videam te clamare ad Patrem tuum, bibere acetum, perseverare in cruce, donec impleas, quod tibi præcepit, & in ea pati immensos dolores & mortalem agoniam, donec exspires. Quando me consolaris, sum valde liberalis in promissis, offero me ad patiendum, resigno me in tuam voluntatem; peto crucem, ut tibi similis fiam. Sed cum abscondis dulcedinem tuam, & mihi das, quod in consolatione ardentè petieram, statim puto te mei oblitum, à me recessisse, & me esse extra gratiam tuam, & exhaustam misericordiam tuam. Quomodo, Jesu animæ meæ! tunc non cognosco, te in hac desolatione non desisse esse Filium, nec imminutos thesauros gratiæ & magnitudinis tuæ? ô quàm miser sum! quàm infirmus, terrenus, inconstans! quàm ignarus, & ingratus beneficiis tuis! quàm usurarius est amor, quem erga te habeo! quàm infidelis tibi, cui tam sum obligatus! Perfice, Domine, & purifica amorem hujus animæ. In omnibus, quæ facio, Domine animæ meæ, sum similis mihi ipsi, terrenus, abjectus & vilis: & tu, Deus meus, in omnibus quæ facis, es purissimus, & similis tibi ipsi, liberalis, bonus, amans & verus amicus ingrati hujus animæ. Non est opus, ut potentia utaris ad me evertendum; quando me puto firmissimum esse, si tu parùm abscondas radios tuos, quælibet cogitatio, quælibet contradictio vel tentatio me dejicit ac facit, ut gratiosa præsen-

tix tuæ & misericordiæ diffidam. Confiteor tibi, Redemptor meus, me nihil esse, nihil posse: ita sum natus, ita fui & sum hucusque ante te. Sed tua virtus, ô Deus meus! potest corroborare debilitatem meam.

*Confusio de
vita male
transacta.*

VI. O misericordia infinita! quanto pudore adsto coram te, quando recordor alterius majoris miseriæ, in qua vixi tanto tempore, te non amando, nec desiderando, nec patiando pro te, neque intelligendo, quid sit hæc interna desolatio, occupatus & inebriatus vanitate, & gustu peccati ac mundi: quæ me procul abstinebant à te & gratiâ tuâ, nihil horum sentientem! O mi bone Jesu! quàm longè abfui à te! quomodo recessi ab hac divina pulchritudine tua, tam antiqua, tam nova! Hæc sunt, quæ te Domine, adegerunt in hanc derelictionem. Ego, Deus miserationum, deberem sic destitui gratiâ tuâ & omnibus creaturis, quia te dereliqui & offendi; ac totus mundus deberet armari contra me: sed tu, Domine, benignior es erga me, quàm erga teipsum; ac desolaris, ne ego desoler. Ignosce, Jesu animæ meæ, huic tuæ creaturæ, quidquid feci contra te, ut in hunc statum venires. Ad te, ô Pater misericordiarum, revertor; suscipe me, Deus totius consolationis: protege me pietate tua, ne frustra sit in me tantus dolor, ac tantus amor.

*Devotio
Christi nos
roborat ad
resistendum
adversis.*

VII. O Jesu derelictæ, refugium orphanorum ac desolatorum: amor tuus me docet, ab hac derelictione tua provenire mihi omne robur, ad resistendum adversis. Quid erit me, si derelictio tua me deserat? Sed tu vere auxiliator meus, quemadmodum doloribus tuis redemisti mea supplicia, & mihi vitam donasti, sic tua derelictione meruisti, ut Pater æternus me non deserat; & quantò sum afflictior, tantò sit ipse misericordiâ suâ mihi propinquior. O Jesu, lux animæ meæ! illumina oculos meos in tempore tribulationis; quam cum conveniat me subire, noli attendere timiditatem infirmitatis meæ. Per hæc derelictionem te oro, Domine, non ut me non tribules, sed ut in tribulatione me non deseras, ac doceas me in illa te quærere, velut unicum remedium animæ meæ; ne debiliter in fide, nec deficiam in servitio tuo, nec extra te quæram solatium, & accipiam a manu tua sanctissima,

ctissima, quidquid mihi porrexerit. Humilia me tunc, & conforta me: solare me, ut pati possim, & perseverem in patiēdo usque ad mortem. Et quoniam hoc totum est opus tuæ derelictionis ac manûs omnipotentis, fac in me, quidquid potest misericordia tua: vides enim sine gratia tua nihil omnino me posse. Glorificeris, amor triumphans, in infirmitate mea; quia in parvis & abjectis ostendis majorem potentiam ac bonitatem. Exaudi me misericorditer, bone Jesu, sincere amice, & unicum refugium hujus animæ!

O Mater sanctissima, & Virgo perpetua! quæ vidisti, ac sensisti extremam afflictionem Unigeniti tui, tanquam fidelissima ancilla & socia laborum ejus, sis advocata mea in die desolationis; sustenta meam fidem, & fave debilitati meæ. O Curia cælestis! qui transivisti per hæc omnia victores ac triumphantes, compatimini nobis, qui adhuc sumus in conflictu, & impetrate mihi gratiam perseverandi usque ad mortem.

Æ R V M N A XLIX.

Sitis Christi.

I.



Olent ægroti præparatis syrupis, medicinâ, & sanguinis educatione curari: sique nimis teneri sint & lactentes, nutricibus dantur syrupi & medicinæ, ut lacte puriore abundant. Infirmata natura humana originali peccato, medicinæ ferendæ non erat. Dominus igitur se fecit ejus nutritium: *Et ego inquit per Prophetam, quasi nutritius Ephraim, Osè. c. xx. portabam eos in brachiis meis; & nesciverunt, quod curarem eos. v. 3.*

Quia pro suo erga peccatores amore, admovit eos pectori suo, & uberibus bonitatis ac misericordiæ suæ nutritivis, susceptâ in se curâ, mittendo sanguinem, & sectionem sui corporis admittendo, ut virtute sui purissimi sanguinis, pro nobis effusi, sugentes ejus gratiam, dulcedine beneficiorum suorum educemur. ipso interim syrupis ex aceto & felle potato, quod nobis fuerat ebibendum pro medicina corrupti gustûs nostri, quo cælum perdidimus. Reservavit sibi hoc

A a a 3

Dominus